NVNCIVS INANIMATVS.



Londini.

In ~~Utopia.~~ Anglia

1629.

N

I

1. 

tellect

rum

Vt,qu

senten

cere v

ninò h

2

vix v

qui a

solet a

siforte

doque

berto

to aut

3

NVNCIVS INANIMATVS.

1. 

Eminem latere poteſt, qui Philoſophiam vel primis (quod aiunt) labris deguſtarit, ad intellectum humanum nihil niſi exteriorum ſenſuum adminiculo peruenire; Vt, qui alium, ſiue abſentem, ſiue præſentem, ſuæ voluntatis certiorem facere velit, hunc aditum ingredi omninò habeat neceſſe.

2 *Et apud præſentes quidem, alio vix vtimur medio quam ſermonis, qui auditus miniſterio, mentem menti ſolet aperire, & quaſi coniungere; niſi ſiforte Pallas aliquis reperiatur quandoque, qui (vt de Claudiano illo liberto Tacitus)* ſeruis nihil niſi ſcripto aut nutu mandare ſolitus eſt. Annal. 13.

3 *Abſenti qui volunt aliquid indicare,*

dicare, & Nunciorum fidei non omnia credere, per oculos ingerunt, quæ per aures, aut non possunt, aut tutum non existimant. Quem quidem in finem, literas solemus exarare, animi indices, quæ iussa plerunque satis fideliter peragunt, nisi vbi, vel Nunciorum perfidia, aut negligentia, vel itinerum impedimenta in causâ sunt, vt ad destinatum locum indicia nostra non perueniant.

4 *His vtiq; incommodis, remedia nonnulla sunt ab antiquis excogitata; quæ (præterea quòd viam expedire videbantur, & Nuncios adhibere, qui facilè non possent corrumpi) celeritatem etiam pollicebantur, qualem nullus hominum præstare posset, nisi qui tanquam Perseus alter, Pegasum nescio quem alatum (vt literas, seque perferret) nactus fuisset.*

5 *Illorum inuenta huiusmodi apud Historicos commemorata, non pigebit paucis recensere, vt postquàm Nuncium porrò hunc meum descripserim, & quid polliceatur retulerim,*

quantum

quantum nostra Commenta antiquorum illa transcendant, tunc demùm lectori innotescat.

6 Cecina Volaterranus (*vt habet Plinius*) comprehensas hirundines in vrbē secum auferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, illito victoriæ colore. *Tradit & Fabius Pictor in Annalibus suis*, cum obsideretur præsidium Rom. à Ligustinis, hirundinem à pullis ad se allatam, vt lino ad pedē eius alligato, nodis significaret, quo die, adueniente auxilio eruptio fieri deberet. Et D. Brutus in obsidione Mutinēsi, Epistolas annexas columbarum pedibus, misit in castra consulum.

Nat. Hist. lib. 10. cap. 24.

Pli. ibid.

Pli. lib. 10 cap. 37.

7 *Sed horum omnium inuenta multis gradibus superauit illud Mamaluchorum Aegyptiorum Alexandriam incolentium, de quibus sic scribit Bern. quidam de Bridenbach Decanus Moguntinus.* Quanquam fortè sit difficile creditu (*inquit ille*) tamen omnino sic se habet quod narrabo. Amiraldus semper apud

Itin ter. 5. in oct. 28 1483.

 se

ſe quaſdam diſciplinatas habet columbas ſic edoctas, vt quocunque perrexerint, in Amiraldi curiam reuertantur. Earum duas aut tres, naucleri (emiſſi in occurſum Alexandrinum portum petentium) ſecum recipientes, educunt per mare vſque ad locum in quo aduenientes poſſunt explorare, vbi mox conſcriptam ſchedulam continentem quæ ſcitû neceſſaria ſunt, ad collum vnius columbæ ſuſpendunt, eamque ſinunt auolare; quæ continuo volatu ad menſam vſque Amiraldi ſchedulam afferens, quales ſint venientes indicat. Quod ſi poſt primam emiſſam columbam, aliud quippiam Amiraldo fuerit ſignificandum, mox ſecundam emitttunt columbam, vel etiam tertiam, ſi neceſſe fuerit: Et ita longe antequam naues portum intrent, Amiraldus de eis eſt edoctus. Dicitur etiam quod alias habet columbas, quas vſque in Cayrum tranſmittit ad Soldanum tempore

pore quo aliquod repentinum & arduum inciderit negotium ſibi neceſſariò ſignificandum. Porro ſi naucleri ab ipſo Amiraldo emiſſi, nauium conditiones inueſtigare nequiuerint, hoc ipſum per columbas ſibi renunciant, &c.

8 *Hiſce ſimilibuſque rationibus aliquid ſignificatum quandoque comperimus, ſed auibus ſemper baiulis, cum nos internuncium dare polliceamur, qui non ſolum non ales aut alatus, ſed ne animal quidem ſit, & tamen celeritate animalium quoduis vel perniciſſimum, multis (quod aiunt) paraſangis anteeat.* inanimatus

9 *Ad inſtitutum igitur noſtrum propius accedit illud eorum, qui noctu accenſis ignibus, interdiù fumo, amicis procul diſsitis, breuiſſimo temporis ſpatio quod viſum fuerit ſignificarunt. Sic Græci è Sciatho confœderatis ſuis qui ad Artemiſium caſtra habebant, & Mardonius Perſa ab Athenis in Aſiam vſque, ſicuti ab Herodoto traditum eſt.*

In Polym.

In Calliope.

 10 *Iſti*

10 *Isti enimuero (quantum perspicio) non omnia quæ expedire viderentur huiusmodi signis annunciabant, sed vnum duntaxat aliquod de quo inter ipsos antea conuentum fuerat, vtpote Athenas eo temporis articulo captas, aut* exscensionem *factam in terram hostilem, tum cum in his aut illis locis aut flamma aut fumus excitatus esset.*

11 *Plus multò mihi videntur præstitisse, Tiberiani illi apud Suetonium, qui quo tempore prudentium ille nequissimus in Caprearum insula helluaretur, ac tunc præcipuè quando Seianum opprimere satagebat;* signa (ne nuncij morarentur) tolli procul, vt quidq; foret factum mandauit. *Quæ verba videntur innuere, ita rationes suas instituisse Tiberium, vt omnia cognitu necessaria, per huiusmodi signa in continenti procul elata, ipse in insula degens intellexerit.*

In Tib. c.65.

12 *Quâ in re si non hallucinor, facilè subeat admirari, quî eueniat, vt ars huiusmodi, omnia animi nostri*

sensa

sensa sic sine Nuncijs ad absentes procul annunciandi, in hac nostra Europa interierit, aut saltem ab eo tempore nunquam fuerit vsurpata, quantum Historiarum classicarum lectione possum reperire.

13 *In hac, inquam, nostra Europa: Nam apud Cataianos in summa perfectione hodieque vigere, clarissime patet clarissimi Scriptoris testimonio, Aug. Busbequij, de cuius fide dubitare esset nefas, nisi is aliena fide niteretur. Sed ipsum audiamus sic loquentem.*

14 Postquam multorum Mensium labore ad angustias ac veluti claustra regni Catayani perventum est; (nam bona pars ditionis regis Cathay Mediterranea est, asperis montibus præruptisque saxis circundata, nec potest intrari nisi per fauces, quæ Regis illius præsidijs tenentur) ibi Mercatores interrogantur, quid ferant, vnde veniant, & quo sint numero; quæ regij præsidiarij cognita, in- Epist. Turcic 4

ter-

terdiù fumo, noctu per ignes, proximæ speculæ tradunt, illa vicissim sequenti, ac sic deinceps, donec aliquot horarum, quod plurium dierum spatio non posset, nuncius, Cathaium ad regem de Mercatorum aduentu transferatur, qui quidem pari celeritate eademque ratione quid sibi placeat respondet, admitti omnes, an partim excludi, aut differri velit.

15 *Ab huiusmodi speculis, (quas nos Anglicè* [Beacons] *appellamus) aliquid enuntiari posse, maiores nostros non latebat, à quibus nempe morem accepimus hostium aduentum earum ope declarandi. Verum illa duntaxat ratione, tot hominum & iumentorum numerum, gentem, mercimonia, & alia scitu necessaria sigillatim referre, opus videtur magis arduum & difficile, quàm vt solertiâ gentis Barbaræ, & Philosophiæ tam humanæ quàm diuinæ penitus ignaræ, præstari posse existimem. Atq; de visu, (quem non sine causa Cicero* sensuum

ſuum acerrimum *pronunciauit.) Hæc bactenus.* De Orat. 2.

16 *Vt iam ab oculis ad aures tranſeamus ; legendo huc vſq; vix comperi, aliquam rationem excogitatam ab antiquis, aut à Modernis vſurpatam, quá huiuſce ſenſus beneficio, notitiam quiſquam perciperet, à loco, paulò longinquiori interuallo diſſito, niſi per Nuncij intermeantis ſermonem.*

17 *Huc tamen aliquid ſpectat, quod prodidit nobis Sol omnis antiquitatis (ac noſtræ præſertim Britannicæ Camdenus inhis verbis :* Muri Pictici, (quem ad Borealem Angliæ partem conſtruxit Seuerus) accolæ tubulum æreum, eo artificio muro inſertum, inter ſingula Caſtella & Turres intercurriſſe ferunt, (cuius fragmenta ſubindè repererunt) vt ſi quis vocem in eum quacunquè turri immiſiſſet, ſtatim ſonus in proximam, inde ad tertiam, & omnes deinceps non interruptus perferretur, ad ſignificandum In Britan. pag. 652.

vbi

vbi loci hostium insultus timeretur: Cuiusmodi miraculū de turribus Bizantij in Seueri Historia refert Xiphilinus. Sed cum murus nunc iaceat, (*inquit ille*) & tubulus sit nullus, multi hic circumquaque prædia in Cornage (vt Iuridici loquuntur) à Regibus nostris tenent, videlicet, vt cornu irruptiones hostium vicinis significent; quod à veteri Romanorum instituto deductum nonnulli existimant. *Hactenus Camdenus, qui omnia Antiquorum inuenta ad hunc scopum tendentia his in verbis complexus est.*

18 *Haud abs re fuerit fortassis, vt postquam de visu & auditu disseruimus, nonnihil etiam dicamus de tactu: cuius sensus ministerio procul absentibus aliquid posse significari, sine Nuncio præsertim; neque traditum est huc vsque ab aliquo (vt existimo;) nec vt fieri possit, credibile videatur. Ego autem & fieri posse, & factu esse facile contendo, ad Milliaris vnius, aut forte etiam alterius distantiam,*

quan-

quanquam experimento ut hoc ipſum haberem exploratum mihi nondum contigit, & vtrum operæ pretium denique futurum ſit, non pronuntio.

19 Ad cæteros verò illos ſenſus quod attinet, (viſus inquam & auditus:) hoc dico, & fidentèr dico: Primum, nunciari poſſe ab artis huiuſce gnaro, ad alium ſimiliter gnarum procul abſentem, (modò intra quartam partem milliaris) ſiue obſeſſum, ſiue latentem, aut fortaſsis detentum in aliquo loco, qui nuncianti planè notus non ſit, & etiamſi notus, tamen non acceſſibilis, omnia ſigillatim quæcunque voluerit, & conducere exiſtimarit. Arceantur procul omnes homines, corpus in ergaſtulum compinge, vinciantur manus, caput obnubito; Cæteroquì non ſis moleſtus, verba cuncta auribus percipiet abſentis amici, illi modò amico libertas non ſit imminuta adeò quin ea valeat facere quæ fieri ſolent quandoque à liberis hominibus, aut ſaltem quæ ſe facere poſſe quiſque exiſtimet ſine periculo.

20 Dico

20 *Dico deinde, quod cognito loco vbi amicus resideat ad quem notitia perferri debet; & si vterque plena fruatur libertate; rationes etiam antea fuerint initæ quæ ad medij dispositionem sunt conducibiles; ad centessimum vsque milliare (forte etiam vel milesimum) omnia posse nunciari tali amico, sine nuncio, hominum (imò ne animalium) quoquam intercurrente, idque infra breuissimum temporis spatium, horarium puta, aut multo fortasse contractius.*

21 *Miranda (inquis) sed non credenda. Hoccine verò tam mirandum aut incredibile videatur? Habes adhuc generalia tantum & specificè; eccum indiuiduum de quo minùs credas. Mandetur nuncio huic meo Londini (modo paucis) quicquid annunciari cupis amico Bristoliæ, Welliæ, aut si mauis Exoniæ degenti (neque enim longinquitatem viæ multum moror, si detur facultas sternendi & permeabilem efficiendi) mandetur (inquam) Londini, idque in ipso articulo meridiei,*

diei, vnus aliquis integer sacræ Bibliæ versiculus annunciandus; Curabo vt mandata is exhibeat loco designato (attende quid dico) ante meridiem eiusdem diei.

22 Ἀδυνατὸν ne temerè pronunties: Seriùs aliquot minutis ad Bristoliensem quam ad Londinensem meridianum sol peruenit. Hoc tantum est quod mirere, nuncium qualemcunque motum celestem pernicitate posse anteuertere. Iste vero faciet; faciet (inquam) si opus fuerit, aut ego omnium qui fari aut scribere vnquam sciuerunt vanissimus.

23 De arcibus aut ciuitatibus obsessis quid loquar? Nuncius noster inanimatus animæ haud metuens, innumerorum hostium phalanges pertransibit; non morabitur eum fossa ad infernum vsque depressa, aut Murus vel Babylonijs illis mœnibus excelsior, quin verba fideliter perferat emittentis, modò, (quod semper moneo,) pauca, siue obsessus is fuerit, siue ad obsessum aliquid velit significare, idq;

velocitate incredibili, si intra aliquot milliaria, 5. (putà) vel 7. detur consistere, quanquam non diffido à vigesimo vsque hoc ipsum satis commodè præstari posse.

24 Habes iam tria huiusce nuncij mei promissa, quæ quomodo inter se differant, perspicuitatis gratia operæ pretium fortassis fuerit demonstrare.

25 In primo, laudo fallendi astutiam; in secundo, transeundi celeritatem; in tertio, cuncta penetrandi potentiam & vim inuictam.

26 Quod primo in loco pollicitus sum, facillimè præstabit, sine sumptu, sine opera cuiusquam præterquam emittentis. Hoc vero habet incommodi, quod illius vsus paulò crebrior suspicione non vacabit.

27 Quod secundo, fit etiam sæpenumero absque ope aliena, & nonnullis in locis operam exhibebit temporariam fere sine sumptu: plerumque vero parum aut nihil efficit sine præparatione, eaque tali, vt pro singulis milliaribus, quinis plus minus libris nostratibus

con-

constare possit, si ad perpetuum vsum destinetur; omnino nihil sine nutu atque authoritate Magistratus, cui perquam facile est nuncio nostro hanc viam precludere.

28 *Ad tertium quod attinet, haud magnum profectò sumptum requirit: Oportet verò vt is qui agit, in loco aliquo tuto constitutus sit, eoque non nimium distante, vbi vim hostilem possit propulsare, donec operationem perfecerit: Negandum proinde non est, immittentis quam emittentis hic deteriorem esse conditionem.*

29 *Videris mihi iam lector percontari, quonam sensuum percipiente, hec omnia sic annuncianda amicus intelligat; nam sunt sensus intellectus satellites (vt* Cicero *) interpretes* De.leg.1.
& nuncij, vtpote per quos solos ad il- De.n.t.
lum peruenitur. De.l.a. *Respondeo, Auditu nonnunquam, nonnunquam etiam visu. Rationem quæris, quo modo? habebis paucis, & proinde fortassis non tam clarè quin paradigmata requiras.*

30 Si

30 *Si oculis amici absentis aliquid cupis repræsentare, absentis inquam & procul absentis, idque citiùs quam corpus aliquod sublunare ad locum tam longo interuallo disiunctum possit perferri (nam & id in me recipio) oportet vt ideæ siue formæ visibiles, augeantur quantitate, multiplicentur numero, & pro rerum significandarum varietate varientur, vel qualitate, vel quantitate, vel situ, vel ordine.*

31 *Auribus nihil percipi nisi per sonum neminem fugit. Erit igitur necesse vt is, cui aliquid auditu mediante nunciatum fuerit, Sonos audiat, eosqúe distinguibiles pro numero Audiendorum, quæ cum sint infinita, infinita etiam sit oportet, sonorum edendorum varietas: Satis tamen erit, vt distinguantur, vel genere, vel tempore, modò etiam & numero.*

32 *Hæc qui probè intellexerit (& exemplis omnia luce fient clariora) quomodo perferantur huiusmodi soni ad locum procul distantem nunquam percontabitur.*

33 *Ne*

33 *Ne verò malis & damnatis artibus hæc effici quisquam suspicetur; Deo Opt. Max. teste, profiteor atq; denuntio, illiciti nihil continere hanc disciplinam: nihil aut Diuinis, aut humanis legibus repugnans: Arithmeticæ, Geometriæ, Musicaque auxilio plæraque, cætera si non vsitatis, at legitimis rationibus perfici, idq; sumptu sanè mediocri, penè dixeram nullo: Multa siquidem præstari possunt in hoc genere, sine aliquo vel vnius Teruntij impendio.*

34 *Ac ista quidem cùm sic se habeant; sapientibus dijudicandum relinquo, primum an, deinde quantum & quousq; hæc nostra inuenta Reipub. vtilia sint futura. Si in primo deficient, moriantur, & sicut Partus abortiuus, aut lucem non videant, aut visâ ne tantillum fruantur, sed protinus intereant.*

35 *Ego enimuerò, cum huiusce Artis vsum fore permagnum existimem, tam pacis quàm belli tempore; officio meo consentaneum duxi, operam*

meam

meam in ea tradenda deferre; Quod tamen non faciam libenter ita, vt cum passim pluribus innotuerit, ea suo tempore vti nequeamus.

LECTORI DE AVTHORE.

PRæstat pòl Scilo, Artifex peritus;
Dæmon, Artifici: Artifex sed hicce
Et Motu prior, atque maior Arte,
Præstat credito, Dæmoni vel ipso;
Præstat Dæmoni & anteuertit ipso.

Ed. M. Ch.

Aliud eiusdem.

Dic quæso, si non duce Dæmone tanta, quis ergo?
Angelus Hic bonus est? Ἄγγελος est bonus, Hic.

P. BERTII, PROFESSORIS ET COSMOGRAPHI REGII

BREVIARIUM TOTIUS ORBIS TERRARUM.

Cui accessit series Romanorum Imperatorum.



HANOVIÆ,

Sumptibus Clementis Schleichii, & Petri de Zetter.

M. DC. XXIX.